

1218.

[m. 6.]

et plenius intellectis, petitioni eorum condescendentes, eis licenciam benigne concessimus eligendi. Qua a nobis optenta, Spiritus Sancti gracia, magistrum P. Mauveisin unanimiter sibi elegerunt in episcopum et pastorem. Cujus electioni regium prebentes assensum vobis duximus supplicandum, rogantes ut, quod vestrum est, in hac parte exequamini. Teste comite, apud Turrin Londonie, viij die Decembris, anno etc. tercio.

Idem scribitur G. de Marisco, justiciario Hibernie, de assensu domini regis prestito electioni predictae, et mandatum est ei quod ipsi magistro P., vel nunciis suis has litteras deferentibus, omni dilacione et occasione postpositis, plenariam saisinam episcopatus Osserensis, cum omnibus que ad episcopatum illum pertinent, habere faciat.

Idem scribitur capitulo Osserensi de assensu etc. et mandatum est eidem capitulo quod ipsum magistrum P., sicut electum suum, admittant, intendentes et respondentes ei, sicut electo suo.

Idem scribitur omnibus militibus et libere tenentibus et aliis tenentibus de episcopatu Osserensi, de assensu domini regis etc; et mandatum est eis quod eidem magistro P. sicut electo suo, in omnibus que ad episcopatum predictum pertinent, intendentes sint et respondentes. Teste per omnia, ut supra.

*De castro de Kynyorby prosternendo.* Rex vicecomiti Lincolnie, et J. Marescallo et sociis suis, itinerantibus in comitatu Lincolnie, salutem. Mandamus vobis quod castrum de Kynyorby, quod traditum fuit incendio, tempore domini J. regis, patris nostri, nec tamen plene prostratum fuit, funditus prosterni faciatis, antequam iter vestrum perfeceritis in comitatu illo. Teste comite, apud Turrin Londonie, viij die Decembris, coram dominis W. Londiniensi et P. Wintoniensi, episcopis, anno etc. tercio.

*Conductus.* Thomas de Galeweya, comes de Ascell, et sui quos secum adducit, habent literas domini regis patentes de conductu ad veniendum ad dominum regem ad faciendum fidelitatem domino regi. Durat autem conductus a die Sancte Lucie, anno regni domini regis tercio, usque in xv dies proximo sequentes. Et diriguntur litere omnibus baillivis et fidelibus domini regis literas illas inspecturis. Teste comite W. Marescallo, apud Westmonasterium, xj die Decembris, anno regni domini regis tercio.

*Conductus.* Robertus de Sancto Germano, clericus, habet similiter literas domini regis patentes de conductu, in veniendo ad dominum Pandulfum, legatum Anglie, ad loquendum cum eo. Et durat conductus ille a die Sancte Lucie Virginis, anno regni domini regis tercio, usque in octabas purificationis beate Marie, anno eodem. Et diriguntur litere omnibus baillivis et fidelibus domini regis. Teste comite W. Marescallo, apud Westmonasterium, xj die Decembris, anno regni domini regis tercio.